

*Cosmae Pragensis Chronica Boemorum. MGH, Scriptores, Nova series II. Ed.
B. Bretholz (unter Mitarbeit von W. Weinberger). Berlin: Weidmannsche
Buchhandlung, 1923.*

Capitulum XL.

Interea natus ducis Bracizlaus de puericia transcendens in iuventutem ibat de virtute in virtutem; cui pre ceteris prosperitas operis, proceritas corporis et forme pulchritudo ac virium sapientieque magnitudo, in adversis fortitudo, in prosperis temperata inerat mansuetudo. Hisdem temporibus Teutonicis in partibus fuit quidam comes valde potens, cognomine albus Otto, sanguine de regio prodiens stemmate patrio. Unica huic erat gnata, nomine Iuditha, pulchritudine

Sub Phebo cunctis que sunt prelata puellis,
quam bonus pater et eius optima mater, quo addisceret psalterium, tradiderant in cenobium,
quod dicitur Zuinprod, loci situ et menibus munitissimum. Sed que turres, quamvis altissime,
aut que menia firmissima amori resistere et amantem possunt excludere?

Omnia vincit amor: rex et dux cedit amori.

Igitur Bracizlaus, iuvenum pulcherrimus, heros acerrimus, multis referentibus audiens de nimia pulchritudine et morum probitate ac generositate parentele supra dicte puelle, ultra non habebat spiritum et intra semetipsum cepit cogitare, utrum eam vi rapere temptet an dotalibus conubia paret. Sed maluit viriliter agere quam supplicando colla submittere. Perpendit enim innatam Teutonicis superbiam et, quod semper tumido fastu habeant despectui Sclavos et eorum linguam. Sed quanto fit semper difficilis aditus ad amorem, tanto amanti filius Veneris ignem incutit validorem. Fluctuat mens iuvenis igne succensa Veneris, velut ignibus estuat Ethna. Et hanc apostropham eufonizat secum: Aut ego coniugio fungar egregio aut ego ludibrio mergar perpetuo, fieri non poterit, ut mea non fuerit Iuditha, nobilibus edita natalibus, virgo spectabilis, multum amabilis, solis luce clarior, vita mihi carior; vivat ut superstes, laus Deo sit perpes. Et statim quos inter suos novit manu promptiores et sibi fideliores, iubet probatos et laboris pacientiores aptari equos et fingit se ad imperatorem cito iturum et cicius redditum. Iussa viri faciunt, sed quid dominus suus moliatur nesciunt. Mirantur inter se, quod tam celeriter vadunt, et quasi septem dierum iter agentes vice hospitum intrant predicti cenobii atrium. Interdixerat enim suis omnibus ducis natus, ne alicui eum, quis vel unde esset, innotescerent, sed quasi unum ex ipsis se ipsum haberent. Cedat Ithacus callido ingenio investigasse natum Thethidis, nec se iactet Iliacus pastor Tyndaridem rapuisse Amiclis, quia hic iuvenis Bracizlaus ambos it pre et animositate et audacis facti inmanitate. Nam postquam data est eis ibi pernoctandi licentia, sicut lupus, quando obambulat ovilia querens, qua parte irruptat, ut nitidam rapiat agnam, sic heros Bracizlaus visu sagaci et animo illustri lustrans claustrum vult vi irrumpere, sed non audet, quia secum tantam copiam militum non habet. Forte fortuna affuit dies festa, et ecce mille votis optata cum suis coevalis de claustro exit virgo Iuditha, sicut puelle solebant tenelle ad vesperas pulsare campanas in medio ecclesie. Quam ut vidit audacissimus raptor sui pre gaudio factus inmemor, ceu lupus, qui ex occulto irruit et rapit agnam et conscious facti fugit submittens caudam, petens ulteriore latebram, sic et ille rapta virgine fugit; et ut venit ad portam, invenit eam catena molendinari fune grossiori prestrictam et viam exeundi preclusam. Mox exempto gladio ut festucam precidit acuto, que usque hodie cernitur sectio fortissimi ictus pro testimonio. Ceteris autem sociis id minime scientibus et adhuc in papilionibus manentibus ab irruentibus inimicis comprehensis aliorum erutis oculis et naribus abscisis, aliorum manibus et pedibus truncatis dux cum paucis et virgine rapta per noctis vix evasit opaca. Rapta est autem virgo Iuditha anno dominice incarnationis MXXI. Et ne daretur Teutonicis iusta occasio calumpniandi Boemos quasi pro

illata iniuria, ilico heros Bracizlaus cum nova nupta patre salutato duce Odalrico recta via proficiscitur in Moraviam. Nam antea pater sibi totam illam terram tradiderat in potestatem fugatis cunctis de civitatibus Poloniis, ex quibus multos comprehensos, centenos et centenos ordinatim catenatos vendi iusserat in Ungariam et ultra; quia re vera post obitum secundi Bolezlai sicut urbem Pragam, ita totam Moraviam vi obtinuerant Polonii.

Anno dominice incarnationis MXXII. In Polonia facta est persecutio christianorum.

Anno dominice incarnationis MXXIII. VI. id. Augusti Eccardus quartus episcopus Pragensis ecclesie transivit ab hac luce victurus perpetue vita. Fuit autem hic presul contra potentes erectus, erga humiles et mansuetos pius et modestus, facundissimus predictor, largus elemosinarum dator, dominice familie in mensura tritici fidelis dispensator. Hic constituit, ut pro decimatione unusquisque, sive potens sive dives sive pauper, tantum qui de suo pheodo vel allodio araturam haberet, duos modios quinque palmarum et duorum digitorum, unum tritici et alterum avene, episcopo solveret. Nam antea, sicut primo episcopo Diethmaro constitutum erat, pro decimatione duos messis acervos dabant; dicimus enim acervum quinquaginta manipulos habentem. Huius post obitum Izzo obtinuit episcopium, qui ordinatus est eodem anno IV. kal. Ianuarii ab archiepiscopo Magontino.